


DE MISSIONE  
SANGVINIS, QVAM  
PHLEBOTOMIAM APPELLANT,  
DISPVTATIO PRO LOCO (VT  
vocant) in facultate Medica  
adipiscendo instituta

A  
GASPARE NÆVIO  
CHEMNIZIO ARTIVM ET ME-  
DICINAE DOCTORE.

LIPSIAE.  
XVII. DECEMBRIS ANNO A PARTV  
VIRGINIS M. D. XLVIII.

17



**W woluminie kolejno współprawne sygnatury:**

**Odręczny  
spis tytułów**

SD 4122 II

SD 4123 II

SD 4124 II

SD 4125 II

SD 4126 II

SD 4127 II

Inc. 331

SD 4129 II

SD 4130 II

SD 4131 II

SD 4132 II

SD 4133 II

SD 4134 II

SD 4135 II

SD 4136 II

**SD 4137 II**

SD 4138 II

SD 4139 II

SD 4140 II

SD 4141 II

SD 4142 II

SD 4143 II

SD 4144 II

SD 4145 II

SD 4146 II

SD 4147 II

SD 4148 II

SD 4149 II

SD 4150 II

SD 4151 II

SD 4152 II

SD 4153 II

SD 4154 II

SD 4155 II

SD 4156 II

SD 4157 II

SD 4158 II

SD 4159 II


SD 4160 II

SD 4161 II

SD 4162 II

Inc. 331 b

Rkp. XVI wiek





In hoc libro contenta

- 1 Caxemes p. inera mediana, a de peste, Gab. f. yale p. 17. G.
- 2 Poptaria epigon medica, em. de, Antierpie ad 62. L
- 3 Podagra liden elegiac p. Ed. Hesp. Plogitio, 31. C.
- 4 Febrio dialogis Hottentis, 14 brendin Luthon. A.
- 5 In C. Plinij l. 30 cap. 122. Magia Apologia Tuteny. G.
- 6 Masheoli test de artificiali memoria. A.
- 7 Ars memoriae Ge. Sibitij a pœniata alio. A.
- 8 Vithenta Exorata p. lūm Cornarū. ad 45. Encl.
- 9 Nita ac Brachila p. Vity. Exor. asserenda p. i. d. Aug. 8.
- 10 Ad illibet calumnias Fudij, rufio Egenolphi. B.
- 11 Disputa de testam. nā a mial. p. i. d. nā. D. Roth a.
- 12 Disp. Wensley Baion. q. D. Roth. Aet.
- 13 Disp. Homin. Shomay de morte Gori.
- 14 Disputa D. Amichatij de p. i. d. nā. A.
- 15 Disputationes duae D. Roth a. p. D. Roth. A.
- 16 Disp. D. Amichatij, de 180. Comitah.
- 17 Disp. Casp. Naeij de Phetomina. ad 48.
- 18 Disp. D. Fendij, p. R. Roth. A.
- 19 Disp. D. Menay de catharus, rudente P. Roth. ad 49. C.
- 20 Disputa D. Roth a. p. Roth. A.
- 21 Allocatio a purgatio Sumat D. Naeij, ad 51. C.
- 22 Disp. de phlegmone, 1. Hamillay & Flaccij.
- 23 De lotione a balneis D. Amichatij, a P. Roth. A.

24. Disputa. R. Jacobi Tiliichij & Sincero & Nathero.
25. Diss. P. Rell, & Bodrio, Nachholdo.
26. Diss. de causis febrind in græc, V. Clavij.
27. Diss. P. Svin: Scheitij de Archi T. Bi. nativa.
28. De sang & pituita V. Peembach & 3 Doctores
29. V. Peembach & doct. V. Quast medica (D)
31. De calore & spirit nativo diss. Meinerj & Steinnich. C.
32. De nino & eius quatuor V. Hoffmann & Scheitij
33. De lacte diss. Hufsen & M. Baroth. 34. Estasis Strack.
35. Elementa Hipp. & Gal. V. Peembach & M. Baroth.
36. Reta moderatj ratio V. Meinerj. C.
37. Cæ & principia certitudinis V. Tiliij Regionoh. C.
38. Dinstinctio spirit nativi dinst. Lamm, Faysen.
39. Ougo & ea petri & Bernhardi Eincedling.
40. Cui dy. Schlenz V. Herring. Steinnich. 41. V. Kohnmayer.
42. Von ungeliefen. 43. Vom Meinen <sup>bro. off</sup> melf.
44. Facies & mores mense caru. 45. Caphys V. Pistor. E.

DE MISSIONE  
SANGVINIS, QVAM  
PHLEBOTOMIAM APPELLANT,  
DISPVATIO PRO LOCO (VT  
vocant) in facultate Medica  
adipiscendo instituta

A  
GASPARE NÆVIO  
CHEMNIZIO ARTIVM ET ME-  
DICINAE DOCTORE.

LIPSIAE.  
XVII. DECEMBRIS ANNO A PARTV  
VIRGINIS M. D. XLVIII.

Vol 6 N. 42

DE MISSIONE

SANCTISSIMO

THEOBOTO LAM-APPELLANT

DISPUTATIONE LOCUTOR

nocturne in faciliore Mysteria

adhibendo infans

H. 145/1981

(M)

SD 41370

A

GASTRARE NABENIO

CHEMINO ET ME

DECISIONE



ELPSIDE

XVII DECEMBER ANNO A PART

VIRGINIS M. D. XLVIII

# GASP. NÆVIVS

CHEMNICIVS ARTIVM

ET MEDICINAE DOCTOR

LECTORI CANDIDO,

S.



OS FVIT ATQVE CONSVETUDO olim in ludis Isthmijs, qui maximis sumtibus in honorem deorum religiose celebrabantur, ut nemo permitteretur prodire in publicum, nisi eius spectaculi, quod editurus erat, specimen aliquid prius priuatim spectantibus ei rei Praefectis edidisset, eaq; diligentia cauebatur, ne quid consuetæ magnificentiae ludorum temeritate alicuius audaciae detraberetur. Eam ergo diligentiam, quam in Ludicris olim Græci, si in tuenda publica salute adhiberent ij quoque, qui hodie ad rerumpublicarum gubernacula passim sedent, nemini, nisi comprobatis publica scolarum censura Medicis sanitatem suorum ciuium conseruandam committerent. Nunc uerò dum sine discrimine quoslibet ad medendum admittendo declarant eam curam ad se quasi non pertinere, fit, ut non solum ipsi primum officij neglecti pœnas dantes grauius à circumforaneis medicis, quàm à morbo ipso affligantur, uerumetiam dum calcar eo pacto in uera arte uersantibus adimunt, efficiunt id, quod in reliquis animantibus nunquam admittunt, ut grassari impune quibusdam tanquam carnificibus inter homines necando sub specie artis liceat. Ego uerò cum non tam quæ fiunt, quàm quæ recte fiunt imitanda sequendaque semper duxerim, quamuis autoritate celeberrimi Bononiensis Gymnasij inauguratus artem exercere potuissem, malui tamen ad hanc quoque accedere iudicium collegij ornatissimi facultatis Medicæ in hac scola, quod sub ipso & fundamenta artis iecerim, & uiderim illud principibus uiris haud secus, quàm Asclepiadarum familiam summis regibus ob fidem scientiamque medendi probari. Cogitanti uerò mihi quid potissimum in medium proferrem: placuit de missione sanguinis quædam ex Hippocratis & Galeni doctrina collecta pro tenuitate ingenij proponere, quod & frequens ipsorum

est usus & in morbis propter diuersas opiniones nonnullorum, non  
citra tamen ægrorum periculum ualde inuolutus, quo ueritas opera  
Præceptorum præclare de studijs meis meritum, atque aliorum  
doctorum uirorum collatione discussa patefiat. Hoc uerò stu-  
dium nostrum si tibi Candide Lector probari sensero,  
me ad proponendum in posterum alia uoluntate  
beneuolentiâque tua excitabis, Vale.

AN Sanguis humorum omnium, qui sunt in hu-  
mano corpore benignissimus, quoq; omnes  
ipsius partes aluntur, & in quo uita etiam ipsa  
in potentia, tanquam flamma Elichnij in oleo  
continetur:

E uenis, morbis aut impendentibus, aut præ-  
mentibus iam corpus, sit mittendus.

## CONCLUSIO.

### I.

CORpora nostra ex sanguine, & maris foeminæq;  
semine conflata esse constat.

2 Horū uerò alterum ratione spiritus gignitiui ad  
generationem foetus concurrere actiue, alterum cum  
sanguine passiue.

3 Membra uerò formari à uirtute formatrice, quæ  
in semine hærens, tanquã Phydias ipsa deliniat, atque  
ministratibus alijs facultatibus ad formam deducit.

4 Quia uerò seminis à mare excreti quantitas, pro  
magnitudine iusta solidorum, tanquam materia non  
sufficit.

5. Itaq;

5 Itaque formatiua seminis quantum in concepti-  
one continetur, iustitia quadam pro singulis gene-  
randis distribuit.

6 Reliquum ad magnitudinem horum necessari-  
um, ex sanguine mediante spiritu trahit, inq; seminis  
substantiam conuersum, solida membra ita ex semi-  
ne, reliqua uerò ex sanguine fingit, atque utraque ad  
suam perfectionem deducit.

7 Quia uerò corpus ipsius foetus, tam in utero  
grauida, quàm in lucem editum, caussis alteranti-  
bus resoluentibusque, tam connatis quàm externis,  
perpetuò est obnoxium.

8 Necesse fuit uiuere si debebat, ut in resoluti lo-  
cum aliquid cedens ipsum conseruaret.

9 Conseruari autem nisi ab eo, quod sibi est fami-  
liare, cum nihil potest.

10 Sanguis uerò in generatione membrorum, cum  
carnosis partibus tanquam materia ex qua, cum so-  
lidis uerò tanquam materiam fouens alensq; cū sese  
habeat, utrisque uerò cum sit hoc nomine familiaris.

11 Fit ut à sanguine membra omnia alantur, nul-  
lusque sit humor in corpore melior benigniorque ac  
magis amicus naturæ.

12 Vt autem sanitas similarium partium, in tempe-  
rie primarum qualitatum, Instrumentariorū in sym-  
metria iustæ magnitudinis, numeri, figuræ, situs con-  
sistit: ita & in sanguinis spirituumq; conuenienti na-  
turæ substantia, qualitate ac quantitate uita ipsa.

13 Atque sanguis, seruata substantia qualitateque,  
si quantitate sola modum naturæ excesserit, uitam  
haud secus extinguit, atque in Elichniō copia olei  
affusa flammam.

14 Nec secus facit excessu qualitatis à sua temperie  
nimium

nimum alteratione recedens.

15 Alteratio uerò cū ex congenitis partim & quasi radicibus nostri corporis procedit, partim ab ijs, quæ quia ad tuendam sanitatem requiruntur τὰ ὑγιᾶν dicuntur.

16 Fit, ut ab his affectus sanguini præter naturam superuenientes, sæpe aut extinctionem caloris atque uitæ, aut morbos etiam maximos minentur.

17 Ad arcendos igitur & profligandos hos, natura conseruationis operū studiosissima, ut & quantitati & qualitati officienti sanguinis consuli possit, uasa ipsius in interioribus corporis partibus arterijs cum quibus osculis inuicem iunguntur subiecta, mutato ordine, in exterioribus partib. arterijs imposuit, quo ad secundum aptiora magisque exposita essent.

18 Nec eo ipso contenta, sed ut plerarumq; aliarum in arte actionum exempla nobis in animalibus proposuit, ita & huius quoque salutaris præsidij in Hippotamis, ac generosis nonnullis nostris equis reliquit, qui tacito quodam instinctu, seipsos procul dubio præseruaturi, ad id ipsum extimulantur.

19 Quemadmodum igitur ipsi non nisi excitati à natura ad hoc præsidium feruntur, ita & Medicus prudens, non nisi ab arte admonitus, ad id ipsum accedere debet.

20 Qui enim temerè sanguinē minuit, uitā minuit.

21 Qui uerò oportunè tempestiuèque, necessitate urgente hoc præsidio utitur, & grauissimis morbis consulat & ab impendentibus etiam præseruabit.

22 Oportunitatem uerò huius, uti uirtus ægri, & quæ illi concomitantia quasi quadam iunguntur, ut ætas, sexus, corporum & humorum dispositio ostendit: ita necessitatem affectus præter naturam, & præcipuè

cipue ab humore pendens, siue is iam corpus inuaserit, siue id ipsum est inuasurus sit.

## HVMOR.

23 Habet autem humor necessitatem præsidij introducens conditiones, ex quibus scopi missionis tanquam ex fonte fluunt: Aut enim in toto corpore, aut parte ipsius aliqua generatus quiescit: Aut motus ab his ad aliam fluens, affectum præter naturam introducit, aut utrunque agit.

24 Quemadmodum igitur fluxuro debetur per reuulsionem prohibitio, ita quiescenti præter naturam in loco, euacuatio sin ab eo prohibemur, ad proximum ab ipso, deriuatio.

25 Atque hi tres sunt scopi in missione sanguinis obseruandi, qui quemadmodum loco incidendo distinguuntur, ita etiam inter se fine.

26 In his uero omnibus licet humorum omnium simul semper sit euacuatio, tamen primario illa à Medico in missione omni non semper suscipitur.

27 Damnatur ergo à Galeno merito Menodotus, qui ut inepta multa alia in arte, ita etiam plenitudinẽ solam indicationem missionis sanguinis statuerit.

28 Fit autem euacuatio plenitudine existente in corpore toto, extracto sanguine ex eo loco maxime, in quo generatur, & in quo plurimum abundat, & ex quo in totum corpus distribuitur.

29 Eum autem cum Galeno Hepar statuimus.

30 Cum quo cum uena interni brachij dextri propter rectitudinem situs uillorumque, quam καὶ ἰσχυρὰ appellant, consensum maximum colligantiãque habet, secunda est, quoties à toto plenitudinem sumus euacuaturi.

31. Eandem

- 31 Eandem rectitudinem obseruabimus, euacuatur  
ri ab interioribus partibus alijs, incidendo eas maxi-  
mè uenas, quas cum singulis, uel ex corporum secti-  
one, uel doctissimorum Medicorum autoritate ha-  
bere colligantiam didicimus.
- 32 Existēte uero plenitudine in membro sensui ex-  
posito, incidendo scalpendoque ab ipso euacuamus.
- 33 Sin uero ab ea operatione propter nobilitatem  
sensibilitatemque loci prohibemur, ad alium locum  
proximum humorem deducimus atq; deriuamus.
- 34 Est enim deriuatio humoris, locum præter na-  
turam iam obsidentis, ab eo ut euacuetur, ad proxi-  
mum alium per uenas communes deductio.
- 35 Vt enim membra consensu neruorum inter se,  
ita etiam uasorum cōmunitate iunguntur, per quem  
& attractio & retractio fieri potest.
- 36 Debet tamen deriuationem semper præcedere  
à toto euacuatio.
- 37 Reuulsio uero fit retracto humore fluente, per  
uenam recedentem à loco affecto per contrarium in  
maxima distantia.
- 38 Distantia uero, cum iuxta dimensionem corpo-  
rum in longum, latum, profundum detur.
- 39 Hinc secundum profunditatem ante uel retro:  
secundum latitudinem à dextris ad sinistram: secun-  
dum longitudinem à superioribus ad inferiora re-  
uellimus.
- 40 Siquidem inferiorum & superiorum terminū,  
Epar statuimus.
- 41 Atque in concursu diuersarum reuulsionum,  
quem sæpe locus affectus secum adfert, ea maxime  
eligenda est, quàm citissime præsidium ferre affectui  
arbitrabimur.

42 Vbicunque ergo cum plenitudine in toto affectus præter naturam ex fluxione in parte aliqua iam consistit, euacuare primo, post deriuare debemus.

43 Vbi uerò morbo nondum facto, cum plenitudine in toto materia ipsa, uel est in transfluxu, uel fluxura est, licet plenitudo euacuationem desideret, ommissa euacuatione, si uirtus fert, reuellemus, quantitate sanguinis missi, euacuationem rependentes.

44 Vbi denique cum plenitudine, humor morbum partim fecit, partim est adhuc in transfluxu, ibi omnibus his præsidijs utendum.

45 Ut enim simplicibus humoris conditionibus, simplicia præsidia missionis sanguinis debentur, ita quoties hæ complicantur inter se, toties & coniungi illa debent, uel simul una euacuatione adhiberi.

46 Sed in his euacuandi speciebus, ut & in illa que fit per pharmaca purgantia, est maxime ad tolerantiam respiciendum, quid æger ferre possit.

47 Tolerantiam autem penes uirtutem metimur.

48 Hac igitur integram euacuationem non ferente, reiteranda sectio est.

49 Tolerante uerò in affectibus quibusdā, tria hæc supra dicta præsidia, secta interna brachij dextri uena præstamus, mittendo sanguinem cum Hippocrate ad extremum tolerantia usque terminum, id est, ad deliquium animi.

50 Idem facimus ubi perfrigeratione magna in febribus quibusdam est opus.

51 Siquidem non solum missio sanguinis euacuat, sed & habitum corporis perfrigerat.

52 Est tamen hoc præsidio non utendum, nisi in ijs inquam corporibus, in quibus nobis pollicemur facilem restaurationem uirtutis.

## VIRTUS.

53 Exerit autem sese uirtus per ea, quæ substantiam ipsius constituunt, ut sunt spiritus, habitus carnorum & solidorum membrorum.

54 Quæ quidem cum ratione dispositionis ætatis, sexus, humorumque maximè, ex quibus oriuntur spiritus, plurimum inter sese uariant, hinc in necessitate missione sanguinis, oportunitatem ex his ueniamur.

## ÆTAS.

55 Pueri ergo corpora tenera habentes, cum prius ob caliditatem humiditatemque connatam diffentur, atque ualde euacuentur, sanguinis missione dissoluendi ulterius non sunt, eorumque, donec firmiorem habitum consecuti, pubertatem attigerint.

56 His annumerandi sunt etiam senes, in ultimo quasi uitæ limite constituti, in quibus cum sanguinis boni sit paululum, custodiendus pro uita tanquam thesaurus est.

57 Ab his uero ætatibus utrinque recedentes à phlebotomia arcendi non sunt, qui in plethoricos morbos inciderunt.

## SEXVS.

58 Similiter & foeminis, cum sanguinem & spiritum frigidiores habeant, cautè est missio sanguinis adhibenda.

59 In quibus igitur menstruæ purgationes modum naturæ seruant, hæ euacuari ultra non debent.

60 In quibus uerò per defectum ab eo deflectunt, his præmissa ductuum præparatione, reducendæ sunt per derivationem.

61. Sistens

61 Sistendæ uerò reuulsione sunt, quibus nimium fluunt.

62 Est etiam menstrua purgatio, quæ consuetam quantitatem non seruat, phlebotomia adæquanda.

63 Grauidis uero sine periculo nunquam secatur.

64 Vbi tamen propter plenitudinem in uasis timor est, uel de suffocatione foetus, uel ruptura ligamentorum, quibus foetus in utero alligatur, secanda est grauidis.

65 Tutius autem in huius generis affectu secatur his, in quibus foetus suis principijs, quàm nixui propior est.

### HABITVS CORPORIS.

66 Similiter etiam corpora, cum uel ob excessum frigiditatis siccitatisque, uel propter nutritiæ imbecillitatem, habitum graciliorem sunt consecuta, missione sanguinis non sunt amplius extenuanda perfrigerandaque.

67 Nec obœsa etiam natura, cum sanguinis parum habeant.

68 Qui uero ex ocio uictuque pleniori eum habitum acquisiuerunt, his secanda est affectu poscente.

### DISPOSITIO HUMORVM.

69 In quorum uero uasis sanguis est cum cruditate reliquorum humorum coniunctus, in his est ad ipsam respiciendum, siue propter defectum caloris, siue excessum oborta fuerit.

70 Vbi ergo in utraque paululum ultra uel citra sanguinem processum est, sanguis audacter mittendus est, sin ulterius, accurate agendum, ubi plurimū, non mittendus.

71 Quemadmodum enim subtractio sanguine ab

abundantiori pituita, maior introducitur frigiditas, cruditas & caloris extinctio, ita à bilioso abundante, agitatio, quàm post sequitur putredo.

72 Quæ cum uirtutem deſiciant debilitentque, ab his tanquã ab hoſtibus pernicioſiſſimis eſt cauendũ.

73 Ad fugienda ergo hæc, aureum Principis præceptum relictum eſt, cum monendo fideliter inquit, & caue, ne ægrum ad unam duarum perducas rerum, ſcilicet humorũ choleriſſimorum ebullitionem, & frigidorum cruditatem.

74 At in quibus tamen melancholia abundat, ſi naturalis eſt & gracilitas in corpore, relinquenda, ſi præternaturalis ſubtrahenda, & epicraſi ad benignum reducenda.

75 Nec cruditate in uentriculo primis que uenis exiſtente, mittendus.

76 Nec ubi ante uel ſponte, uel ab arte facta eſt euacuatio, ſanguis mittendus eſt, ſiue illa per inedia, uigiliam, motum, pharmacum, uenerem, aut aliam naturæ uiam facta fuerit, ſi modum præſertim exceſſerit.

77 Vt igitur oportunitatem præſidiũ huius, uirtus ipſa, & quæ illi quodammodo annectuntur oſtendit, ita neceſſitatem demonſtrat præter naturam affectus ſeu morbus.

## MORBI.

78 Morbi igitur corpus occupantes, ſiue ex acutis ſiue chronicis fuerint, modo à plenitudine pendeant, uel à cauſis pletoricis exorti fuerint, miſſionem ſanguinis maxime requirunt.

79 Sunt autem huius generis Apoplexia, Epilepſia, Vertigo, Arthridis, Podagra, Iſchias, Chiragra, Spasmus, Tremor, Hydropiſis & his ſimiles, qui ex ſuppreſſa

pressa aliqua euacuatione oriuntur.

80 Similiter & tumoribus præter naturam Phlegmones, atque aliæ fluxiones calidæ, quasunque tandem partes obfederint.

81 A frigido etiam humore, qui ex atra bile originem traxerunt.

82 Qui enim à pituita oriuntur, ut & morbi chronici, missionem sanguinis non ferunt.

83 Et cum missio sanguinis refrigeret, merito etiā febribus, propter prohibitam euentationem caloris ob plenitudinem obortis, adhibetur.

84 Similiter & ijs, quæ sine plenitudine ex putredine humorum, siue illa in uenis, siue extra constituerit, accenduntur: In quibus si putredo quantitate paululum sanguinem excefferit, mittendus est.

85 Sin uero sanguinem excessu magno superauerit, abstinendum.

86 Idem etiam faciendū in febribus, quæ ex putredine humorum in corde contentorum, acceduntur.

87 Damnandi ergo sunt maximè hi, qui in febribus pestilentialibus, putrefacto penè omni humore cordis, sanguinem adhuc detrahentes præsidium hoc salutare & suo & artis dedecore prostituunt, agros missione ad interitum ducentes.

88 Idem faciunt qui in febribus ex cruditate frigidorum humorum obortis, sanguinem mittunt, & maximè in principio.

### SYMPTOMA.

89 Ex ijs autem quæ morbis accidunt, & ob id τὰ συμπτώματα appellatur, dolori uehementi siue recēs, siue uetus ex plenitudine obortus fuerit, confert.

90 Quicumque uero ex morbis corpori uel ob prauitatem humorum, uel imbecillitatem partis fluxio-

✱

nes suscipere consueta, impendentes, id nondum in-  
uasere, arcendi sunt, euacuatione quidem á quietis  
humoribus imminentes, reuulsione uerò á dispositis  
iam ad fluxum.

91 Atque hoc præsidio utendum etiam in solutio-  
ne continui, siue in interioribus partibus illa, siue in  
sensui expositis, quamcunque ob causam acciderit,  
& tum maximè cum de inflammatione est timor.

### VENA INCIDENDA.

92 Sed cum morbi certas partes obsidentes, non  
ex omnibus euacuationibus æquè leuentur, ad ue-  
nas quæ cum singulis partibus colligantiam habent,  
est respiciendum.

93 Habent quidem cum capitis partibus colligan-  
tiam, pro ut quælibet rectitudine iuncta est, uena cui-  
que parti, uenæ frontis, chanti, nasi, aurium, colli, &  
quæ sub lingua latent propinquam, uti remotam, ue-  
na humeralis in brachio, & quæ ad pollicem usque  
excurrit, dextræ cum dextris, sinistra cum sinistris.

94 Cum Thoracis uena mediâ brachij, & quæ in-  
ter indicem & annularem excurrit.

95 Cum uentris inferioris partibus, interna bra-  
chij, dextra cum dextris, sinistra cum sinistris.

96 At quæ mediū quasi situm inter has partes obti-  
nent, ut sunt, uesica, pudenda, cum uena in genu, pro-  
ximum cum poplitis, remotum consensum habet.

97 At quæ circa Malleolos sese ostendit uena, cum  
sylvæstris coxendicis partibus.

98 Atque in his omnibus, licet nonnullæ ex uno  
trunco propagatæ per distantes membrorum con-  
trarias partes excurrant, tamen semper ea secunda  
est, quæ è directo loco affecto respondet.

99 Sin uero reperiri aut secari commodè non po-  
test,

test, alius eiusdem uenæ ramus aperiendus est, post compressior reliquarum uenarum sanguis ex ea qua uolumus, eliciendus.

<sup>100</sup> Vt igitur plenitudo in toto existens, euacuationem semper per dextram brachij internam uenam designat, ita in reuulsione deriuationeque uenam ostendit locus ipse affectus.

<sup>101</sup> Ab eo ergo ubi euacuare non possumus, ad proximum ab ipso deriuamus: reuellimus autem ad contraria, per maximam distantiam.

<sup>102</sup> Vbi uero horum præsidiorum omnium nobis negatur facultas, ad ea quæ missionem sanguinis supplet est acuendum.

<sup>103</sup> Vbi uero conceditur adhibenda est & cum debita quantitate.

## Q U A N T I T A S.

<sup>104</sup> Quantitatem mittendi sanguinis, uti in inflammationibus mutatione coloris, in ijs, qui integram euacuationem ferunt, metimur, ita in reliquis morbis magnitudine repletionēque.

<sup>105</sup> Quia uero euacuationē integram, quam morbus exigit, uires sæpe non ferunt, hinc reiterata sectione, quam *ἐπαφαίγεσιν* appellant, illa est supplenda.

## R E I T E R A T I O.

<sup>106</sup> Secunda ergo bis in die uena est, interpositis horis quibusdam, in morbis diuersionem euacuationēque citam urgentibus.

<sup>107</sup> In non urgentibus, uel sequenti die post, uel interposito die uno.

<sup>108</sup> Sed in omni missione, siue integra illa, siue per Epapheresim instituta fuerit, quantitatem moderabitur uirtus.

- 109 Quæ cum in ipsa missione sese exerit per pulsum, nunquam sanguis ultra ipsius in magnitudine æqualitateque mutationem est mittendus, nisi in euacuatione ultra tolerantia terminum instituta.
- 110 Similiter respiciendū ad eos, qui ratione stomachi temperaturæq; ab euacuationibus offenduntur.
- 111 Stringenda etiam uena est, ubi sanguis albus tenuisque sese obtulerit.

### Q V A N D O.

- 112 Nec audiēdi sunt, qui certo tempore præsidium hoc alligantes, ante quartum diem secare olim uenam in morbis noluerunt.
- 113 Nec sequendi etiam nonnulli, qui indicationibus reliquis sectionem suadentibus cogentibusq; in morbis, astrologicas illas concessiones, magno ægri incommodo superstitiosè expectant.
- 114 Vt enim urgentibus morbis, sine mora sanguis mittendus est, ita in non urgentibus aëris constitutio negligenda non est.
- 115 In calidissimis igitur & frigidissimis constitutionibus, siue illa in naturalia sua tempora, siue non inciderint, missio sanguinis, ut & illa quæ, fit per pharimacæ purgatio, est ualde periculosa.
- 116 At ubi uel de putredine maligna, uenenositate, uel inflammatione futura ex solutione continui timor est, postpositis quæ remorantur alijs conditionibus secanda est.
- 117 In morbis uero inuadere certo tempore consuetis, fluxio, priusquam ad partem imbecillam propellatur, prohibenda.
- 118 Id cum Vere & Autumno, quibus humores in uegetabilibus, & ad exteriora & interiora mouētur, plurimum accidere solet, hinc hæc ipsa eligi debent.
119. Est

119 Est autem Veris tempus præ cæteris ad id com-  
modissimum.

120 Et cum diuinus ille noster Galenus in febribus  
continentibus, sectionem uenæ, quam urgens tum  
morbus postulabat, legatur phlebotomiam propter  
cruditatem in primis uenis existentem distulisse in  
subsequentem diem, quantò magis id nobis in sanis  
est obseruandum, ne excrementis in corpore moran-  
tibus, uenam secemus.

121 Excrementa uerò cum à natura matutino tem-  
pore per omnes meatus purgentur.

122 Hinc hora à somno secūda aut tertia, celebrata  
expulsione superfluitatum, est præ cæteris aptissima.

123 Est uerò in hac euacuatione, ut in illa quæ fit  
per medicamenta purgantia ad præparationē humo-  
rum meatuumq; per quos euacuamus, respiciendū.

124 Corpora enim quæ purgare uolumus, oportet  
fluida facere.

## P R A E P A R A T I O .

125 In quorum ergo uasis sanguis crassior extiterit,  
in his priusquam mittatur, balneis, frictione, uel fo-  
mento est fundendus.

126 Similiter agendum ubi ex ramo aliquo uenæ,  
in exterioribus partibus mittere uolumus.

127 Et quia ob euacuatum sanguinem ex uenis,  
membra circumposita, exinanita alimentum ex ue-  
nis appetunt, uenæ ex epate, epar ex stomacho &  
primis uenis.

128 Hinc primæ uenæ intestinæque, natura munere  
suo non fungente, non solum ante missionem ab ex-  
crementis arte sunt liberandæ, uerumetiam diligen-  
ter cauendum, ne à missione cruditate uicissim re-  
pleantur

Dieta

## DIET A.

129 Sit ergo cibus á sanguine misso quantitate paucus quidem nutrimenti uerò boni, atque excessu qualitatis expers, bis, uel quando est opus, ter in die, nec á missione statim exhibitus.

130 Ab hoc uictu sensim ad priorem reuertendum, nec uetus attingendus his qui plenitudine laborant.

131 Quemadmodum enim repletionem ab euacuatione nihil est deterius periculosiusque, ita commodi nihil ab euacuatione ferunt, qui statim ad eandem uictus rationem, tanquam canes ad uomitum reuertuntur.

132 Et quia refrigeratio ex missione sanguinis in somnum declinat, prohibendus arcendusque est aliis quandiu, ne reuocatione subita humorum spiritu umque per refractionem uena rumpatur.

133 Similiter quæ humores mouent agitantque, uitanda sunt, siue motus animi siue corporis fuerint.

134 Et cum ad consolidandam uenam, ad agitationem humorum sedandam, ad coctionem epicrasimque opus sit quiete adhibenda illa omni studio corpori est, & non turbanda.

135 Quicumque ergo necessitatem huius praesidii ex affectu praeter naturam, oportunitatem commotatemque ex uirtute aegri constituentibusque illam ac concomitantibus metitus fuerit, cum quod à praementibus ijsque morbis maximis aegrum liberabit, tum uerò ab impendentibus praeseruabit.

Proble.

# PROBLEMATTA.

## I.

AN sanguinis missio, cum chirurgicè à phisica medicina perperam hodie contràq̃ ueterū medicorum doctrinam à Neotericis separetur, ad chirurgicen pharmaceuticēque pertineat, cum manu ali operatione perficiatur?

## II.

An quemadmodum in purgatione uis attractiua medicamentorum trahentium noxios humores à facultate expultrici membrorum, uenarūque compressione, ut molestum expellant, iuuatur, ita etiam eadem ratione sanguis, in missione propellatur. An uerò à natura cum spiritu ad locum incisum tuendum, tanquam affectum præter naturam, delegetur?

## III.

Cum ex uenis diuersis eodem trunco tamen propagatis (ut sunt Sciatica & Saphena, uenæ ex communi trunco super genū exortæ in contrarias pedis partes excurrētes) mittendus sit sanguis, cur uena secundum rectitudinem quā *κατ' ἴσιν* appellant loco affecto respondens secta, citius præsidium adferat quam altera, cum tamen communis trunci sanguinem ex æquo subtrahere euacuarēque uideantur?

## IIII.

Cur uenæ retrò aures sectæ secundum Hipp. & Galeni sententiam sterilitatem inducant, cum tamen descensum spermatis à cerebro ad uasa seminaria testēsque prohibere non uideantur?

# PROBLEMA

I.

An in sanguinis melleo, cum charactere a phlegma  
antidoti perperam adde conatus uerum in  
hoc non doctissimis et ueteribus separant, ad esse  
tunc perperam adde conatus uerum in  
hoc non doctissimis et ueteribus separant, ad esse

II.

An quidam modum in putrefactione uis autem  
melleo melleo in putrefactione uis autem  
melleo melleo in putrefactione uis autem  
melleo melleo in putrefactione uis autem  
melleo melleo in putrefactione uis autem  
melleo melleo in putrefactione uis autem  
melleo melleo in putrefactione uis autem  
melleo melleo in putrefactione uis autem

III.

Cum ex uenis dicitur trunco tam in pro-  
prietate (ut sunt Schenck & Hippoc.) uenae ex com-  
muni trunco superius et inferioribus pedibus  
fuerit (ut sunt Schenck & Hippoc.) uenae ex com-  
muni trunco superius et inferioribus pedibus  
fuerit (ut sunt Schenck & Hippoc.) uenae ex com-  
muni trunco superius et inferioribus pedibus  
fuerit (ut sunt Schenck & Hippoc.) uenae ex com-  
muni trunco superius et inferioribus pedibus  
fuerit (ut sunt Schenck & Hippoc.) uenae ex com-

III.

Cur uenae uenae sunt secundum Hippoc.  
Cuius sententiam firmiter inducant, cum tam  
distinctionem sententiae a corpore ad uasa semina  
sententiae prohibere non uideantur



